



1648.

1. Velthapins, Petrus: De veris et in veris regnum
et rerum publicarum mutationum causis

1681.

1. Schelquigias, Samuel: De legibus inter arma
loquentibus

1684

1. Hoppius, Tractatus: De jure ignotorum.
2. Hoppius, Tractatus: De iniuriis capitalibus

2 Sept 1684: 1712

1685.

1. Hoppius, Tractatus: De obligatione statutorum

1688

1. Schelquigias, Samuel: De consilio Kempers. p. I
2. Schelquigias, Samuel: De materia S. S. baptismi.
3. Schelquigias, Johannes: De anthropophagia et causa
necessitatis concedenda.

1689

^{19. 24}
= Schulzger, Johannes: De contractu medicum negotio
2 Exempl.

2. Schulzger, Johannes: De iuribus casuum pro amico.

^{34. 26}
= Schulzger, Johannes: De iuribus pro amico.

1690

1. Schulzger, Johannes: De rebellione Prudigalensi

2. Schulzger, Johannes: De obligatione studiorum stipendiorum
divisim

1691.

^{10. 6. c}
= Schulzger, Johannes: De matrimonio iuridico et politico

1692.

1. Schulzger, Johannes: De sacrificiis s. vicinis status.

1693

1. Schulzger, Johannes: De manu oculata

1694

1. Schulzger, Johannes: Triga casuum Mentium I de partu
a matre negato II De incertitudine matris III De primo genitura,
cui a Semivivis a 7 ja dicenda.

1698

1. Niemel dorff, Johans Goltzprecht: De judice erubescen-
cente

1699

1. Niemel dorff, Johans Goltzprecht: De judice erubescen-
cente

2. Niemel dorff, Joh. Goltzprecht: De beneficio suscepi-
t.

1687
1688
1689
1690
1691
1692
1693
1694
1695
1696
1697
1698
1699
1700

[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





DISPUTATIO POLITICA

YOUNG PATRIOT

de Republica

et eiusdem Causis

AVERTISSEMENT

1792

PARIS

ESTRO OLHAFIO, J. U. D.

de Rep. Publica, Gynodii

1792

AVERTISSEMENT

1792

PARIS

1792



576



DISPUTATIO HISTORICO-IVRIDICA,
DE

MARTYRIO IVRIDICO
ET POLITICO,



GERMANIS:

Rechtliche und historische Abhandlung:

In wie weit man für den andern, oder auch für das Vater-
land, Leib, Leben, Guth und Blut aufzuopfern, oder dessen
Beschwerden zu tragen schuldig sey.



QVAM

PRAESIDE

IOHANNESCHVLTZIO, D.

IVRIVM ET HISTORIARVM PROF. PVBLICO,

ET ATHEN. GEDAN. INSPECTORE,

ANNO CIO IO C XCI. D. X. MAII,

PVBLICAE DISQVISIONI SVEIECIT

CONSTANTINVS GABRIEL HECKER,

DANTISCAVVS.



NVNC VERO, VT DESIDERIIS MVLTORVM SATISFIERET,




I E N A E,

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1749.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE
PRINTED IN GREAT BRITAIN
BY THE UNIVERSITY PRESS, CAMBRIDGE





I. N. D. N. I. C.

S V M M A R I A.

- §. 1. De variis Martyrii significatis.
- §. 2. Definitio Martyrii Jurid. Polit. ejusque legitimatio à vi nominis & usu recepto deducta.
- §. 3. Differentia inter verum Martyrium, & Martyrium per quandam similitudinem.
- §. 4. Specialis Martyrii Jurid. Polit. differentia (1) à pœna delinquentium, (2) à pœna posteriorum.
- §. 5. Finis Martyrii per æquum deducitur (1) ne nullus sit (2) nec moraliter inonestus (3) nec apparenter bonus.
- §. 6. Finis ergo honestus esse debet & in procuratione majoris boni seu evitacione majoris mali consistens.
- §. 7. Materiale Martyrii in sensu doloris seu molestia à malo presenti orta consistat.
- §. 8. Formale seu modus passionem meram requirit, exclusa aëtionem patientis.
- §. 9. Causa tam efficiens quam impulsiva explicatur.

A 2

CAPVT

CAPVT I.
 GENERALIA CONTINENS,
 DE
 NATVRA MARTYRII IV-
 RID. POLITICI.

§. I.



Martyrii vocem ab ambiguo ejusdem
 sono & externa specie, qua incauti sæ-
 pius decipi solent, vindicat adjectum
 ipsi prædicatum *Juridici & Politici*.
 Strictissima quippe acceptione, *Ex-
 trema Passio, pro causa Dei* termino
Martyrii in primitiva Ecclesia innotuit. Conf. Les-
 sius *L. 3. c. 1. Dub. 3. n. 21.* Huic similis erat *quævis
 passio*, modo pro causa Dei fuerit, & hinc Tertul-
 lianus *Designatos Martyres* appellat qui propter
 confessionem fidei tormentis subiecti erant, qui-
 que supplicii hoc genus velut mortem inchoatam
 æstimabant. Less. *d. l. n. 23.* Verum tamen Mar-
 tyrium dici nequit, eo quod non fuerit *extrema
 passio*,

passio, h. e. cui nihil defuerit ad summam testificationem veritatis. Unde sequitur mortem ipsam requiri; quamdiu enim vita superest, semper restat aliquid, per quod ulterius testari possumus. Dn. Becmann. in *Lin. Doctr. Moral. c. 15. tb. 4. in med.* adeoque *confessores* potius dicendi, quamvis nomina utraque confundi sapius fateatur Du Fresne in *Gloss. ad voc. Martyr.* Alio sensu *Martyria* in jure pro *templis Martyrum* accipiuntur *l. 13. § 1. 16. C. de S. S. Eccles. Gothofred. in not. lit. L.* vel quod in honorem martyrum extructa fuerint, vel quod reliquia eorum in illis asservarentur. *Conf. l. ult. D. Theodos. de Sepulchr. Violat. Sozomen. L. 2. c. 26. Spondanus in Cœmit. Sacr. L. 1. l. 1. p. 14. Gonzalez. ad L. 3. Decret. Tit. 5. c. 4. n. 8.* imo & ipsa *Martyrum* sepulchra *Martyria* dicta fuisse demonstrat Du Fresne in *Glossario ad voc. Martyria.*

§. 2. In laxiori jam sensu *Martyrium Juridico-Policum* pro *passionibus innocentum ob honestum finem* accipiendum est; ejusque naturam mox explicaturi sumus fusius, modo tituli ipsius legitimationem præmiserimus. Incongrue enim & minus pie terminum sacrum rebus profanis applicare videmur, dum *Martyres* æque pro causa humana quam divina agnoscimus. Verum omnem

nem suspitionis notam tollent argumenta à vi-
 minis & receptione communi ac usu deprompta.
Martyrem quippe nihil aliud quam testem esse ne-
 minem latebit, interprete Augustino *L. 22. contra*
Faustum cap. 76. verbis : *Per quorum confessiones,*
passiones & mortes hoc Deo placuit attestari, Marty-
res appellantur, qui latine testes interpretantur.
 Nec inusitatum esse hunc loquendi modum, (quo
 res metiri solemus *l. 7. ff. de suppl. legat.*) infinitis
 demonstrari potest exemplis. Ita inter illos, qui
 non pro confessione Christi, sed alia quavis ratio-
 ne mortem perpessi sunt, v. g. à latronibus aut viris
 impiis cæsi, tanquam Martyres numerari solent ;
 S. Gervasius Ceromanensis *in vita M. S.* cuius fe-
 stum agitur *pridie Non. Jul.* S. Ladoaldus *in ejus*
vitan. 6. S. Matern. Senonens. Monach. *in ejus vi-*
tan. 14. 15. S. Lietphard. *apud Molanum.* S. Germ.
 Abbas *in ejus vita n. 13.* S. Leopard. *in ejus vita*
M. S. S. Germanus Scotus *in ejus vita Ambiani e-*
dit. S. Prætextatus Episcop. Rotom. *in ejus vita.*
 S. Paternus. S. Eoharnus *apud Bolandum.* Bened-
 dict. PP. V. *apud Baron. ad A. 965. n. 2.* S. Thomas
 Archiep. Cantuar. Quos omnes aliosque alle-
 gatos vide *in cit. Glossario du Fresne.* Recentio-
 rum exemplorum catalogum nobis exhibebit An-
 glia,

glia, primumque inter illa locum sibi vindicabit
 Inscriptio imagini Caroli I. à Cromwello ad sup-
 plicium condemnati in Bursa regia positæ impressa:
Carolus I. Monarcha M. Britannie secundus, Fran-
ciae & Hibernie Rex, MARTYR, ad cœlum missus,
pen. Jan. Anno 1648. Ejusque memoriam anni-
 versariam eadem die hodiernum Angli in dicto je-
 junio aliisque sacris ritibus celebrant, cum titulo
 Martyrii Regis Caroli, seu ut Angli expriment
King Charles Martyrdom. Conf. *Martyrologium*
VVilhelmi VVistanley edit. Anno 1665. Battei *elen-*
chus motuum nuperorum in Anglia. Wilhelmus
Sanders in Histor. Vita & Regni Caroli. Salmasius
contra Regicidas Anglic. Tract. *Regii sanguinis cla-*
mor ad cœlum adversus Parricidas Anglicanos. I-
 tem *Ses qui seculum Anglicanum.* Dn. Becmann. *in*
Histor. Orb. c. 4. 11. His addendus Burnetus *in*
Revolutionibus Angliae.

§. 3. Salvo itaque tituli nostri jure rem ip-
 sam aggredimur, agnoscimusque Martyrium stri-
 cte acceptum nullatenus ad casus humanos, quem-
 cunque humanitatis ac pietatis speciem habeant,
 extendi posse, placetque hic Thomæ II. 2. qu. 124.
 art. 4. expressio, nempe *Martyrium esse per quan-*
dam similitudinem, quodque suffertur non tantum
 propter

propter sunt fidei Christianæ confessionem, sed quamcunque veritatis (vel etiam honestæ causæ) defensione, utpote quæ mediate tandem ad finem gloriæ divinæ, quæ mendacio violatur, tendit, hoc sensu accipienda esse verba Clementis Alexandrini: *Quicumque Servatoris mandata exsequuntur, in unaquaque actione sunt Martyres*, judicamus cum D. de la Mothe le Vayer Tom. 5. sect. de Jul. Apostata p. 315. & sequ. Haud dispari ratione à dicto Authore Socrates titulo Martyris honoratur, quod tormenta ipsamque mortem fortiter passus fuerit, solo virtutis amore. Conf. Thom. d. 1. qu. 42. art. 4. Huc trahendum Senecæ de Socrate iudicium à Gentilismi scoriis tamen non plane liberum. *Calix venenatus Socratem transtulit è carcere in cœlum; Ita cum optavi mihi vitam honestam, & hæc optavi, sine quibus interdum honesta esse non potest,*

O terque quaterque beati,
queis ante ora Patrum Trojæ sub mœnibus altis
contigit oppetere.

--- --- --- Quid tu existimas ea tantum optabilia, quæ per voluptatem & otium veniunt? quæ excipiuntur foribus ornatis. Sunt quedam tristes voluptates, sunt quedam vota, quæ non gratulantium

tium coetu, sed adorantium venerantiumque celebrantur. --- --- Indue magni viri animum, & ab opinionibus vulgi secede paulisper, cape quantam debes virtutis pulcherrime speciem, quæ nobis non fertis, sed sudore & sanguine colenda est. Senec. epist. 67. circa fin. Hæc ita, ut dictum, de Martyrio per analogiam intelligenda sunt, non de vero, quod tantum propter fidem iustinetur. Conf. Thom. Hurardus *Resolut. de Vero Martyrio Fidei*, quicquid in contrarium afferat Joan. de Andrada in *Apologia pro vero & proprio Martyrio per pestem & pro propositione affirmante eos, qui pure ex Christiana charitate immoriuntur ministerio lue contrahentium esse absque improprietate martyres, veram esse saltemque probabilem & extra omnem censuræ aleam*. Conf. Theoph. Raynaudus *de Martyrio per pestem*.

§. 4. Dum vero Martyrium passionem innocentium diximus, eo ipso differentiam ejus (1) à *pœna delinquentium* perspicuam fecimus, dum & hæc *passio* quidem dicitur, sed *nocentis ob malum* quippe *actionis* l. 131. ff. de V. S. Grot. l. 2. c. 20. tb. 1. Pufendoff. l. 8. c. 3. n. 4. (2) à *pœnis posterorum*, quæ ob *crimen læsæ Majestatis divinæ & humanæ* solent dictari. Exod. XX. v. 5. & l. 5. C. ad L. Jul. Majest.

B

Majest. Non enim indistincte innocentes hic liberos, sed illos qui vestigijs Parentum insistant, & à quibus semina & exempla crudelitatis paternæ metuntur, intelligi, facile colligi potest ex *Ezech. XVIII. v. 2. & 3.* quo filios delictorum paternorum non teneri dicitur, & *Tit. in C. Ne filius pro Patre. l. 26. ff. de pœnis.* Quanquam ob expressa allegatarum ante legum verba hanc conciliationem alii vix admittant, nec pœnam hic potius, sed *infortunium* indigitari velint. Conf. *Bermann. Medit. Polit. c. 15. tb. 11. & 13.* Sed quicquid eorum sit, nec infortunium tamen nomine Martyrii insigniri poterit, eo quod finis Martyrii in patiente infortunium non adsit; in *patiente* dum dixi, Deum non excludo, utpote qui non ex mero jure Domini, ut vult *Grot. L. 2. c. 21. tb. 14.* sed ex causis justis, iis tamen nobis non semper perspectis posteros malis afficit, ut ita recte *Grotium* refutarunt *Ziegl. in not. Grot. p. 491. & Osiander p. 1202.*

§. 5. *Honesti finis* requisitum, excludit (1) *passionem* ob nullum plane finem susceptam, utpote quæ vana est, sicut omnis actio moralis vana est, quæ sine caret. *Tormenta abesse velim, sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeste, animose geram, optabo. Quidni ego malim non incidere*

dere bellum? Sed si inciderit ut vulnera ut famem
 Et omnia quæ bellorum necessitas fert, generose fe-
 ram, optabo. Non sum tam demens ut agrotare cu-
 piam, sed si agrotandum fuerit, ut nihil intemperan-
 ter nihil effœminate faciam optabo. Ita non incom-
 moda optabilia sunt sed virtus qua perferuntur in-
 commoda. Seneca ep. 67. (2) Eoque magis finis
 moraliter inhonestus hic plane rejicitur utpote qui
 extra potestatem nostram constitutus est. Quæ
 enim facta lædunt pietatem, existimationem &
 verecundiam nostram & contra bonos mores fi-
 unt, nec facere nos posse credendum est l. 15. ff. de
 Condit. Inst. l. 8. ff. de Usu & Habit. Donell. L. 6. c.
 19. lit. D. Tandem etiam (3) nec finis apparenter
 tantum honestus v. gr. gloriæ cupido hic sufficit.
 Hæc enim cum in stulta hominum persuasionem
 consistat, affectatio mortis ista non sine vitio est.
 Pufend. L. 3. c. 3. th. 14. Hac superstitionis nota
 laborant Turcæ, quorum si quis Mandatis Impe-
 ratoris immoritur, Martyrem se reddi ac in Paradi-
 sum immediate transferri credit. Unde & Ma-
 gnorum Vezirorum aliquis Kara Mustapha Bassa,
 cum infinitis victoriis, consiliis, officiis, gratiam
 Sultani benignissimam emeruisset, id unum felici-
 tati suæ adhuc deesse opinatus fuit, ut Sacro Mar-

tyrio coronaretur vitæque jubente Imperatore cederet. Conf. D. Becmann. *Hiflor. Orb. Pol. cap. 10. tb. 15.*

§. 6. Hæc ita per æquæ expressa funto. Jam merito quæritur: in quonam honestus ille finis consistere debeat? Resp. in boni majoris procuratione si alia ratione illud obtineri nequit, vel etiam evitacione majoris mali, quæ tunc induit rationem boni Grot. *L. 2. c. 23. tb. 2. n. 2.* Procuracionem majoris boni vel evitacionem majoris mali non sine momento addidimus, & quidem ob naturam finis, cujus semper potior & major ratio quam mediocorum esse debet in eligente, id quod interprete Grotio clarius patebit. *Finis nempe semper est bonum aliquod aut certi mali declinatio, quæ vicem boni obtinere possit. Quæ vero huc ac illuc ducunt, per se non expetuntur, sed quatenus ducunt. Quare in deliberationibus comparandi sunt & fines inter se, & eorum, quæ ad finem ducunt, facultas effectiva ad finem producendum: quæ comparatio tres habet normas. Prima est; si res, de qua agitur, æqualem, morali scilicet æstimatione, efficaciam habere videatur ad bonum & ad malum, ita demum eligenda est, si bonum aliquanto, plus habeat boni, quam malum mali. Altera; si videatur esse æquale bonum*

num & malum, quod à re, de qua quæritur, possit procedere, ita deum ea res eligenda est, si efficacia ad bonum, quam ad malum, major sit; Tertia, si videatur, & bonum & malum esse inæquale, nec minus inæqualis rerum efficacia, res ea ita deum eligenda est, si efficacia ad bonum major sit collata efficaciæ ad malum, quam ipsum malum est collatum bono, aut, si bonum sit majus comparatione mali, quam efficacia ad malum comparata ad bonum. Grot. *L. 2. c. 24. th. 5. num. 1. 2. 3.* Et hinc si minus bonum majoris mali passione procureretur, actio vana esset & pro re nata neglectus sui contra amorem sibi debitum tendens, eodemque facit Ciceronis *L. 1. de offic. dum fugiendum esse aliquando vult, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius.*

§. 7. *Materiale Martyrii nostri in sensu doloris seu in molestia à malo presenti orta constitui poterit, eoque omnis amissio jurium suorum dolorem excitans huc trahenda. Suorum ideo mentio facta ut excludatur læsio alieni juris vel ejus quod quis in sua potestate non habet. Ita Seneca de Principe: Longe sit, inquit, in suis quam in alienis exorabilior injuriis. Nam quemadmodum non est Magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille,*

B 3

qui,

qui, quod donat, alteri detrahit, ita elementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed eum qui cum suis stimulis agitatur, non profilit, qui intelligit magni animi esse injurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius Principe impune laeso L. 1. de Clement. cap. 20. Nec à peccato immune votum est Henrici IV. qui rationem transitus sui ad Religionem Romano-Catholicam inter alias hanc prodidisse fertur: *Se malle centies damnari, quam videre Galliam suam tot funestis disidiis amplius lacerari.* Eodemque tendit patientia mariti in tolerato uxoris adulterio, cum debuisset illi irasci l. 29. ff. ad L. Jul. de Adulteriis.

§. 8. *Modus* Martyrium subeundi in mera passione positus est, quæ cum in mali molesti receptione consistat, externe agentem requirit. Amoris quippe nostri teneritudo id non permittit, ut nobis à nobis inferatur malum. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit eam ac fovet, Eph. V. v. 29.* Non sunt itaque Martyres dicendi (1) qui sponte etiam ob honestum finem se Martyrio subjiciunt, cum id *ἀποχρηστικῶς* sapiat, quicquid rationum gentiles in contrarium adducant, advocato illorum Seneca ep. 67. cui hac in parte accedere videtur Grotius L. 2. c. 19. *ib. s. n. 4.* in casu virginum,

num, quæ ne pudicitiam amitterent, in flumen se jecerunt, quas & in *Martyrum censum* Ecclesia retulit. Idem in Ianiena Magdeburgensi *A. 1631.* à Cæsareanis peracta, & in obsidione Rigensi Anno 1656. à Muscovitis facta accidisse refert Dn. Simon. *ad l. Gr. p. 434.* Quibus in casibus Christianus Amor rigorosum vetat examen, interim dicendum, rectius acturas fuisse virgines, si mortem spontaneo supplicio non prævertissent. Conf. fuffius rationes in Osiandro, Zieglero, Simon ad *Gr. alleg. l. (2)* Nec sufficit *Magistratus præceptum, ut quis instrumentum activum Martyrii sui sit*, cum id Magistratus potestatem excedat, utpote qui *amorem naturalem prohibere non potest*, taleque quid injungere, quod cum inclinatione communi naturæ pugnet. Conf. Fagundez in *Decalog. L. 5. cap. 12. n. 12.* Lessius *de Just. & Jur. L. 2. c. 9. dub. 6. n. 20.* adeo ut improbandi sint Japonensium mores, quibus supplicia honestissima sectione proprii corporis reorum manibus facta administrari solent. Varen. *descript. Japon. c. 18.* Eodem tendunt, quæ de contempta à Danis adhuc gentilibus mortis causis fuffius habet Thomas Bartholini, Th. Fil. in *Antiquitatibus Danicis de Causis cont. à Dan. M. L. 1. c. 3. & 4.* Nec obstat (3) Laudata præsci-
tem-

temporis Christianorum ad gloriam Martyrii consequendam fortis alacritas, de qua Sulpitius Histor. Eccles. L. 2. verb. quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tam martyria gloriosis mortibus querebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est: neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Resp. (1) eo ipso non obtrusam temerario intelligi mortem, sed per publicam Christianismi Confessionem eandem ob gloriam DEI imminentem non detrectatam fuisse à Christianis. Cont. Fagundez. d. l. n. 14. & Dn. Stryck. Vol. 2. 14. c. 3. n. 34. (2) Aliam quoque causam esse DEI, aliam proximi: Ratione illius obtinebit hic axioma Befoldi 38. Oportet supertransire omnem Creaturam amor DEI, & se ipsum perfecte deserere, ac in excessu mentis stare, & videre DEum omnium Creatorem cum Creaturis nihil simile habere: Ratione hujus vero, decisionis nostræ ratio ex antecedentibus facile colligenda.

§. 9. Causæ Martyrii examinandæ jam restant. Haud dispares hæ sunt illis, quas in vero Martyrio notavit Henricus Dodwel Dissertationibus

bus *Cyprianis* *Diss.* 12. quamvis *structuram* *Beylii* & *Rocquei* passæ fuerint. Nos extra controversiam positi *Martyrii nostri* duplicem causam agnoscimus *efficientem & impulsivam*. Illam *Magnanimitatem* esse, eamque excellentibus tantum convenire *ingeniis insigni Davidis exemplo* constat, 2. *Sam.* XVI. 7. & hinc *Aristoteles* magnanimum negat esse *μνηστανον*, seu *injuriarum memorem*, quod *Cicero* sic exprimit: *nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque Clementia*. L. 1. de *Offic.* Conf. *Grot.* d. 1. Idem de *Socrate* *judicium* tulit *Seneca*, L. 1. de *Constantia Sapientis*, c. 18. *Respicimus eorum exempla, quorum laudamus patientiam, ut Socratis, qui Comædiarum publicatos in se & spectatos sales in partem bonam accepit, risitque non minus, quam cum ab Uxore Xantippe immunda aqua perfunderetur.* Et hæc ipsa *Magnanimitas* non ad *pericula* tantum, sed & ipsam *mortem* contemnendam se extendit. Ita *fortium virorum esse*, dicit *Curtius*, *magis mortem contemnere, quam odisse vitam*, L. 5. Et *Seneca* *Consol. ad Helviam* c. 13. iterum: *ex quo, inquit, mortis metum ejeceris, in id nullius rei timor audebit intrare.* Ita de *Danis* *testimonium Magnanimitatis* legitur in *Historia Regis Olai Sancti*: *valde detestabiles voces hic*

C

intus

intus audiuntur, nempe ejulatio & vociferatio. Magnum dedecus magnanimitis hoc est viris, quod vulnera perferre non valeant. An Regii milites strenue pugnauerint, nescio, illud pro certo scio, ipsos vulnera impatienter ferre. Bartolin. d. tr. de C. C. a D. M. L. i. c. 5. pag. 49. Impulsivæ varix sunt, quæ ab objectis mensuram suam fortiuntur, de quibus clarius constabit ex speciali materiæ tractatione. Duplicem ergo statum hominum privatum & publicum præsupponendo arg. §. ult. J. de J. Martyrium (1) in statu privato: (2) in publico exposituri sumus.

CAPITIS II.

S V M M A R I A.

- §. 1. Cognationis naturalis vinculum sufficiens causa est appetendæ pro alio mortis vel etiam subeundi periculi, atque ita martyrii ferendi; an ab invasore præstat occidendi, quam eum occidere, extenditur id ad patientiam injuriarum, & amissionem jurium pro alio.
- §. 2. Digressio ad cognationis specialioris societates privatas.
- §. 3. Incubatur a paterna: per ægros non omnes passiones liberorum pro parentibus justas esse, & hinc nec titulum martyrii mereri. Excluditur ergo (1) cæca obedientia stultum: quid de casu Isaaci? (2) mandatum turpis negotii, (3) imo
 & ap-

- Et apparenter honesti: an pro Patre vindictam privatam sumere honestum sit? an ad Patris imperium Matrem adulteram occidere licitum?
- §. 4. Cause impulsivae legitime exponuntur propter quas liberi pro Parentibus martyria subire possunt, ut sunt (1) communio jurium, (2) alimentorum praebendorum necessitas, (3) defendendi Cura: an injuriis à Patre illatis resistendum?
- §. 5. Parentum Amor superat amorem liberorum, Et quae causa?
- §. 6. Jacobi querela de morte filii, Et votum Davidis mortem sibi pro Absolone apprecantis examinantur.
- §. 7. Matrem martyrem esse probatur, quae in partu majorem factus, quam sui curam habet; quid de sectione Caesarea sentiendum?
- §. 8. Extenditur id ad matrem cum virium ac venustatis sua periculo laetantem: an dedecus femina nobili latere?
- §. 9. An Parentes pro liberis ob delictum condemnatis mortem appetere possunt? Votum Moysis quo sensu accipiendum?
- §. 10. Pergitur ad societatem conjugalem: nihilque tam naturale esse quam fortuitis casibus mulieris maritum Et uxorem viri esse participem deducitur (1) conditionem infelicem sequendo, (2) etiam in panis maritum non deferendo.
- §. 11. Limitationes adduntur (1) modo passio talis sit in nostra potestate, Et hinc ad carceres se obligare conjux pro conjuge, imo etiam periculo mortis se exponere potest: non obstante l. 12 ff. ad L. Aquil. Adulterium tamen pro liberando marito pati nequit, nec peccatum corporis afflictivam liberato plane marito. (2) Modo causa martyrii fuerit magnanimitas: examinantur viri comburis Indicarum seminarum. (3) Modo finis honestus fuerit,

Et modus martyrii legiti-
mus.

§. 12. In Societate Herili ser-
uus martyr sit, qui Domi-

num periculis eripit cum ex-
positione vitæ suæ presentis-
sima.

CAPVT II.
DE
MARTYRIO IVRIDICO
IN STATV PRIVATO.

§. I.

A Jure Personarum initium facturi univër-
sa-lem hominum, quatenus nulla specialium
jurium communiõne junguntur, statum primum
aggredimur quærendo: *An cognationis naturalis
vinculum sufficiens causa sit appetendæ pro alio mor-
tis, vel etiam subeundi periculi atque ita Martyrii
ferendi?* Id innuere videtur sacer textus 1. Corinth.
XIII. 5. *Charitatem nimirum non querere quæ sua
sunt.* & 1. Joh. Ep. III. 16. *quæ mortis periculum pro
fratribus subire jubet;* quem Textum B. Dann-
hauerus pro aditione periculi intelligendum esse,
vult *Coll. Decal. Disp. 9. Consc. qu. 1. n. 1.* si majoris
boni procuratio certo speretur, quod tunc accidit,
si quis innocentem magno certo periculo eripit
cum

cum metu incerto minoris periculi, Osiander in Grot. L. 1. C. 2. th. 2. obs. 2. Molin. Tom. 4. disp. 13. n. 1. : Specialis enim & domestica virtus hominis est, quæ consortem adjuvat, inquit Ambros. de offic. L. 3. c. 3. Platoque puniendum esse censet, qui vim alteri illatam non arcet, de Leg. IV. Neque Senecæ illa spernenda de Benef. L. 2. c. 15. Dabo egenti : sed ut ipse non egeam, succurram perituro : sed ut ipse non peream, nisi si futurus ero magni hominis aut magnæ rei merces. Et L. 1. c. 10. Dignum etiam impendit sanguinis mei tuebor, & in partem discriminis veniam : indignum si eripere latronibus potero, clamore sublato salutarem vocem homini emitte non pigebit. Conf. Grot. L. 2. c. 25. th. 7. n. 1. Less. L. 2. c. 4. dubit. 15. An vero hæc charitas etiam eo adigere possit virum Christianum, ut quis se ab invasore occidi patiatur, præsertim cum ex parte hujus majus sit periculum damni irreparabilis & semperiterni, merito dubitare licet, judiciumque difficile reddit temperatum misericordia odium. Nam etsi necem invasoris odio invasionis compensari velint jura, intercedit tamen pro ipso damni irreparabilis & æterni causa jacturæ boni temporalis & recuperandi opposita. Dicendum ergo non peccare eum qui bonum suum temporale præfert bo-

no invaloris cuicunque, cum morali iudicio non videatur aestimandum periculum, in quod ipsum se quis conjicit, & unde se potest eximere. Grot. *L. 1. c. 3. th. 3. n. 3.* Accedit & eum qui impetitur opus habere tempore & pœnitentia, atit probabiliter ita existimare debere, ipsique aggressori ante mortem posse ad pœnitentiam spacium superesse. Conf. Idem *L. 2. c. 1. th. 8.* Interim si teneritudo amoris Christiani prævaleat, ut quis laudabile ejus præbeat Exemplum, saluti animæ proximi etiam proprii corporis salutem postponendo, martyrii corona dignum esse modeste sentimus, per alleg. à quo non dissentit Osiand. 449. modo Affectatio mortis gloriæ causa absit, quam vitio non carere agnoscimus cum Brunnemanno in Comment. ad *L. 3. n. 11. ff. de J. & J. & Pufendorf. L. 3. c. 3. th. 14.* Qua ex Causa Gentilium passiones, quocunque virtutis prætextu nitantur, Martyria dici posse negamus cum Camerario in *Horis Succisv. Cent. 3. c. 1. & 2.* Cœterum quæ hæctenus de *periculo vite* dicta sunt, æquiori titulo ad *patientiam injuriarum*, amissionemque rerum suarum pro proximi applicari possunt, innuente id Servatore *Matth. V.* quem locum cum Grotio *L. 1. c. 2. th. 8.* omnes fere ejusdem Commentatores ita explicant, *voluisse Cbri.*

Christum ad exercendam patientiam, de rebus, que facile sunt recuperabiles, non contendi iudicio, levemque injuriam remitti debere, & quamvis optimo jure quis nitatur, omitti juris persecutionem. Cui accedit Ulpiani J Cti iudicium Christianis temerariis litigatoribus probe observandum; nempe Virum bonum malle resua carere, & verecunda cogitationis esse lites potius execrari, quam molestia iudicaria vexari. l. 4. §. 1. ff. de Alien. jud. mut. causa, præsertim quando videt sacrosanctas justitiæ officinas ubique constupratas. Oldendorp. *Class. 1. act. 11. n. 3.* Barbos. *L. 10. cap. 23. axiom. 2.* Carpz. *P. 1. Const. 1. def. 9.*

§. 2. Jam ad societates easque privatas & minores descendendum. A paterna & filiali inchoaturi causas propter quas Martyrium subiri possit, examinandas suscipimus. Variæ illico occurrunt, sed earum pars *rejicienda*, pars *admittenda*.

§. 3. *Rejiciendarum* numero continetur, (1) *Cœca obedientiæ studium*; Si Pater nullo fine gloriæ divinæ aut publicæ vel propriæ utilitatis promovendæ, solo Patriæ potestatis jure mortem oppetendam injungat liberis. Videtur quidem juri antiquo id non displicuisse, concessio nimirum

Paren-

Parentibus jure vitæ & necis in liberos, cujus vesti-
 gia videre licet in *L. 1. ff. de Liberis & Posthumis l.*
20. ff. ad L. Jul. de Adulter. l. 1. fin. C. de Patria Po-
testate l. 2. C. Theod. de liber. caus. Conf. Cujacius
L. 5. Obs. c. 17. ad tit. de Patria Potestate. Halicar-
 nassæus *L. 2. p. 97. & 98.* Sed cum patria potestas
 in pietate non in atrocitate consistere debeat, *l. di-*
vus ff. ad Pompejam. l. fin. ff. ad L. Pompejam. l. fin. ff.
si quis à Parente l. 3. C. de Patr. Potest. & Legibus ita
 coarctata sit, ne ultra modicæ coercionis termi-
 nos extendatur *L. 3. C. de Patr. Potest. l. un. C. de e-*
mendat. propinqu. Sequitur injustum tale esse im-
 perium, non minus ac filii injustam ejus sequelam.
 Nec obstat, quem juri suo renunciare posse, cum
 hic simul concurrat præceptum naturale conserva-
 tionem sui præcipiens, & læsum imperium publi-
 cum. Et quanquam *Isaaci* Exemplum speciem
 quandam hic addere videatur, alio tamen id niti-
 tur fundamento Divini sc. placiti, sine quo nec Ab-
 rahamus à parricidii nota, nec Isaacus à cœcæ obe-
 dientiæ vitio immunes essent. (2) Majoris inju-
 stitiæ tunc filium participem reddi dicendum, si in
 gratiam Patris sive ejus mandato, seu sine eodem
 rem moraliter etiam cum discrimine vitæ turpem
 committat. Si enim nec in mandatis rei turpis
 paren-

parendi necessitas pœnam penitus tollit, l. 20. ff. de O. S. A. S. l. 11. §. 7. ff. quod vi aut clam: multo minus conjectura mandati paterni remissionem impetrabit. (3) Quæ de *apparenter honesto* superius dicta sunt, æque & hic rejicienda, Gentilium quippe hæc hypothesis à veræ immortalitatis spe exclusa durissima quæque fata solius gloriæ cupidine compensari posse credidit. Ita Tullius: *Ex hoc*, inquit, *Cursu atque impetu animorum ad veram laudem, atque honestam, illa pericula adeuntur in præliis, non sentiunt viri fortes in acie vulnera: vel sentiunt, sed mori malunt, quam tantillum modo de dignitatis gradu dimoveri. Fulgentes gladios hostium videbant decii, cum in aciem eorum irruebant: his levabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis & gloria.* Tuscul. Quæst. l. 2. vid. Barth. l. 1. c. 2. pag. 10. Quam stultam hominum persuasionem in gloria duelli etiam inter Christianos advertere contingit sapius, cujus specialem casum exhibebit *Baronis Luxii* exemplum, qui Patris à Gvisio occisi necem vindicaturus hunc in certamen provocavit; primo transitu Gvisii brachium leviter mucrone perstringitur, qui ubi sanguinem videt, *Patris*, inquit, *manibus, Luxi, factum satis eo sanguine: Luxius ira vecors, Decretoria*, inquit,

D

pugna

*pugna est, sociabitur morte filius Patri, aut hostis ho-
 sti. Gramond. L. 1. p. 31. Major vero difficultas
 exsurgit in casu, si per statutum vindicta privata sit
 permilla, an tunc filius cum periculo vite vindictam
 pro Patre capere possit. Concedunt id J Cti super-
 iorum seculorum Baldus, Bartolus, Salycetius, &
 Jason. Host. in l. 1. §. usufructuarius ff. de oper. nov.
 nunciat. argumento I. Grachus C. ad L. Jul. de Ad-
 ulter. Sed contrarium æquius est ex eo, quod
 vindictae permissio sit ex genere odiosorum, quae
 non latam patiuntur extensionem, non obst. all. l.
 7. quae specialem casum filii, jussu Patris, matrem
 adulteram in continenti occidentis exhibet, adeo-
 que ad conformes vindictae casus, & in quibus jus-
 sio Patris non praecessit factum filii non est exten-
 denda. Conf. Tiraquellus in l. si unquam praefat.
 p. 10. n. 16. Imo & in casu l. Grachus filium in con-
 scientia tutum non esse vult Brunnem. in comment.
 C. add. l. n. 3. Orestemque ideo, quod matrem
 suam adulterii & homicidii paterni ream, manu
 sua interfecisset, à furiis agitatam fuisse, Gentilium
 credebatur judicio. Ita Cicero Orat. pro Rosc.
 Videtisne, inquit, quos nobis Poeta tradiderunt Pa-
 tris ulciscendi causa supplicium de matre sumsisse,
 cum praesertim Deorum immortalium jussis id fecisse
 dicant,*

dicant, tamen ut eos agitent furie, neque consistere usque patiantur, quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt.

§. 4. Succedunt causae legitimae impulsivae, quae non *admittenda* tantum, sed & laudanda reddunt liberorum pro Parentibus Martyria, earumque praecipuae sunt: (1) *Communio jurium*, quae inter Parentes Liberosque intercedit, quaeque ideo communionem Malorum inducit syadetque. Itaque qui adhuc in utero est, sequitur conditionem ventris forte in servitute constituti, si toto tempore conceptionis & partus in servitute fuerit §. 4. *Inst. de Jure pers.* utut jura temperaverint hunc rigorem in *pr. Inst. de Ingenuis*, ne scilicet calamitas Matris noceat ei, qui in ventre est, aut alieno infantes, in quibus nulla culpa deprehenditur, praegraventur odio *l. pen. in fin. ff. de Fideicomm. Libert. l. 33. §. 1. C. de inofficioso Testam. l. 26. ff. de Pœnis*. Ex quibus colligitur, si invitos hic infantes communio ad mala pro parentibus sustinenda trahit, multo magis rationis capaces eadem convinci debent. (2) *ALIMENTORVM PATRI PRAEBENDORVM NECESSITAS*, quae omni jure liberis injuncta dicitur, adeo ut etiam *durissima* quaeque, ipsam nempe *sui Venditionem vel oppignorationem*

D 2

pati

patri cogantur, eo tamen sine, ut periculo famis atque extremæ necessitatis eripiatur Pater. *L. 1. C. de Patr. quæ liber. L. 6. C. quæ res pignori. Molin. de Primog. L. 4. C. 5. n. 24. Acacius de Privil. Parent. C. 2. Grot. L. 2. C. 5. th. 5.* Quorsum trahendum exemplum filiae illius graeculae, quæ Matrem carceri iclusam mammis nutrit, non sine metu ejusdem poenæ nutrix facta nutricis suæ putareturque aliquis, hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere Parentes prima natura lex esset. *Valer. Maxim. L. 5. C. 4.* (3) **DEFENDENDI PARENTES EOSQUE PERICVLIS ERIPENDI CVRA** etiam cum discrimine vitæ aut bonorum suscipienda. Ejusque laudem merentur Æneas apud Virgilium, & Liberi quidam apud Catanos & Siracusanos teste Solino *C. 5.* alique quorum Catalogum exhibet *De la Mothe Tom. 9. Opuscul. sseptique p. 250.* Fundamentum istius decisionis Jcti plerique recte ex ratione communis naturæ deducunt, ut *Bald. in L. cum acutissimi. vers. quid si statutum. C. de Fideicommiss.* *Tiraquellus d. L. p. 218. n. 288.* Altius tamen idem petendum ex universaliori causa, quæ personam multis utilem, qualis hic Pater est, præferendam esse præcipit. *Conf. Grot. L. 2. c. 1. th. 9. num. 1.* Et hinc si liberi metu

metu cruciatus Parentibus inferendi quid promittant, Edicto quod metus causa eos juvari vult Brunnem. *in Comment. ad l. 8. ff. quod metus causa.* licet dubitet Bachovius *ad d. tit. c. 1. in fin.* Et quanquam hanc rationem adæquatam esse neget Henniges argumento à Tyranno (& ita impio Patre,) cujus vita non utilis sed pernicioſa eſt, de prompto *in not. ad Grot. p. 321. & ſeq.* æquius tamen eſt officii Paterni utilitatem in abstracto considerare, utut aliquando in concreto non reperiatur. *Pater enim licet impius ſit, Pater tamen eſt. Nov. 12. c. 2. nec ullum tantum, ſcelus à Patre admitti poteſt, quod ſit parricidio vindicandum,* ita modeſte ſentiente Quintiliano *Declam. 186.* Accedit Divini præcepti argumentum, ut *qui maledixerit tantum Patri ſuo vel matri, morte moriatur,* Exod. XXI. 15. & 17. Exinde colligitur, liberos, qui illatas ſibi à Patre injurias, etiam atrociffimas, patienter ferunt, imo Patri necem ſibi inferenti, cum periculo vitæ ſuæ, non reſiſtunt, generoſæ mentis ſummæ patientiæ Chriſtianiæ, ac laudabilis Reverentiæ filialis præbere documenta, dignos Martyrum nomine & encomio. Conf. Baro ab Eoenck. *de Privileg. Parent. 2. c. 6. n. 9.* Bodinus *Republica L. 1. cap. 4. pag. 40.* Conf. Balduin. *Caf. Conſcientiæ L. 4. c. 1.*

Cas. 14. Andreas à Matre Dei Curs. Theolog. Moral. Tr. 13. de Restit. P. 1. L. 3. n. 39.

§. 5. Hunc filiorum erga Parentes amorem longe superat Parentum amor erga filios. *Instituente quippe natura plus fere filios quam nosmet ipsos diligimus*, inquit Latinus Pacatus, *in Panegyrico ad Theodos.* Et apud Livium L. 3. Vergenius constanter asserit: *Sibi vitam filie sua cariorum fuisse, si libere ac publice vivere contigisset*, quibus accedit Tertulliani L. 2. *adversus Marcion.* sententia, verb.: *Duritia populi talia remedia compulerat, ut vel prosperitatibus suis prospicientes legi divinae obedirent, quis enim non magis filiorum suorum salutem quam suam curat?* imo ipsis feris hunc instinctum inesse ita exprimit. *Seneca epist. 74. Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas & inconsultus impetus praestet indomitas.* Ipsaque jura nullum affectum inveniri posse, qui vincat Paternum, decidunt. *l. ult. C. de Curator. Furios. l. 15. ff. de inofficioso testam. l. 22. ff. ad L. Jul. de Adulter.* Conf. Perez. de Lara de *Vita Hominis c. 36.* Ascanius Clementius de *Patria potestate c. 4.* Petrus Faber L. 3. *Semestr. cap. 8.* Robertus Rerum *Judicat. L. 2. c. 15.* Cur vero Amor hic descendat magis à Parentibus in liberos, quam ab his ad

ad illos ascendat, nulla forte alia subest ratio, quam quod causæ in effecta sua influant, sed nihil reciproci ab effectu ad causam revertatur, adeo ut idem eveniat oporteat in prævalente Parentum erga liberos affectu. Accedit motum mundi universalem, facilius in descensum quam in ascensum propendere, demonstrante id fufius de la Mothe *Tom. 14. Homilie Academique p. 184.*

§. 6. Ex hac amoris teneritudine derivandus dolor Jacobi ex nuncio mortis filii conceptus, ita, ut scissis vestibus ac Cilicio indutus, in hæc verba erumperet: *Descendam ad filium meum lugens in infernum Genes. XLII. 36.* Magnisque huc trahendum Davidis Votum *2. Sam. XVIII. 33. Fili mi Absalon, quis mihi tribuet, ut moriar pro Te*, quod de casu quaeritur: *an justum fuerit hoc votum martyrii pro filio?* Negat id Grotius Davidemque nimis *æquum* fuisse adstruit, eo quod amor hic conjunctus fuerit cum pernicie publica & hinc majorem ipsi populi salutis curam & disciplinam castrorum antiquiorem esse debuisse, quam charitatem liberorum, patrioque amori præferendum, jus Majestatis atque Imperii *arg. l. postlimin. §. filius ff. de Captivis. Conf. Not. Grot. ad d. c. pag. 258. §. 259.* Affirmativa tamen æquior videtur ob martyrii

tyrii ex voto finem, quem cum supra *in evitacione majoris mali cum passione minoris mali posuerimus*, proderit hic *P. Martyris*, referente Polo, interpretationem inseruisse. Certus erat David de salute sua, ergo optat ut pro eo moreretur; in quo typus fuit Christi, qui pro inimicis mori voluit. Luget David aeternum filii exitium, & quod periisset hic filius ex nimia ejus indulgentia. Sentit manum Domini super se & quod ipse occasio fuisset tantorum malorum. In Synopsi Criticorum & aliorum Commentatorum ad h. l. pag. 1489. Nec obstant, quæ Grotius de Patriæ & Reipublicæ amore, charitatis suorum præferendo adduxit, cum quo conveniunt d. l. 19. §. 7. ff. de Captiv. & Postlim. revers. l. 15. ff. de Relig. l. 2. ff. de Just. & Jure. Alia enim ratione Patriæ consuli potuit, captivitate nimirum filii, qui destitutus à suis, captusque à Joabo Patris imperium vel invitatus agnoscere coactus fuisset.

§. 7. Eodem teneritudinis sensu erga liberos moveri solent Matres, quæ durissima quæque ferendo, ipsaque morte vicaria foetum servare conantur. Et ut casus quosdam ab officii materni necessitate deducamus, merito quaeritur problem.: *An Mater ad salvandum foetum durissimos cruciatus, mortisque periculum incertum, subeundo & in specie*

specie sectionem Cesaream non detrectando, martyrii coronam mereatur; Resp. In antecessum præjudicialis causa prius decidenda venit, an Mater ad illam patientiam ex obligatione, an vero ex charitate tantum teneatur. Carranza quidem *L. de par. nat. & legit. c. 6. in fin.* & Franc. Marcus P. 1. *decif. 950.* id negant, & in specie sectionem viva Matre neutiquam permittendam esse statuunt, nec natura Partus eam concedere videtur, eo quod à pariendo dicatur & actionem parturientis involvat *l. anniculus ff. de V. S. & l. siego §. partus Ancilla ff. de Public. in Rem action.* Verum argumentum illud à vinominis petitum infirmum est, cum variæ sint istius vocis acceptiones, inter quas in *l. 1. §. ex hoc præscripto ff. de Ventre inspiciendo l. qui in utero ff. de statu hominum l. Divus Venis ff. de Extraordin. Crimin.* partus, antequam edatur, eo nomine gaudet. Dicendum itaque stricto jure non teneri Matrem (1) ob charitatem ordinatam, quæ à se ipsa incipit. *l. 6. C. de Servit.* (2) Quod præstet ex natura partis cum destructione sui, saluti totius confutere, partum vero pro parte matris accipi constat. *l. 7. C. de Re Vind. l. 1. ff. de Ventre inspic.* Ex tenitudine tamen Amoris Mater tutius aget, quæ vitam partus hoc in casu suæ præfert & quidem ex

E

ratione

ratione majoris boni obtinendi, (3) nempe ut foetus vivus extractus baptizari possit, cum ipsa Mater certa esse possit de salute sua, dum pariendo mulier salvari asseritur *1. Tim. II. 15.* vid. Bald. *ad d. l. nec sectionem Matris per se lethalem esse*, testetur Medicorum experientia. Præsupponitur tamen casus, in quo de certa partus salute constat, cum alias si nulla aut pusilla tantum ejus spes super sit, Matrem ad id nullo jure teneri certum sit. Ita cum Theophilo hanc sententiam fovet Zachias *Quest. Medic. Legal. L. 9. tit. 2. quest. unic. n. 30. & seq.* quibus accedunt Laymann. *P. 3. c. 4. n. 4.* Alsted. *Cas. Conf. c. 18. p. 356.* & ex eo Dorich. *Moral. Theol. Præc. 5. §. 669.* Nec hic obstat secunda ratio de partis destructione pro salute totius necessaria, cum partus fictione tantum juris & per quandam analogiam pars Matris dicatur, cum & in jure partus non ita pars Matris sit, sicut fructus pars pendens arboris dicitur *l. falcidia 2. ff. ad L. Falcid. & ibi Gloss.* & in favorabilibus pro jam nato habeatur. Conf. Theophr. *de Causa Plantarum Lib. 1. c. 1.* Accedit (4) Mulieres natas esse ut partus edant *l. queritur ff. de Edilit. Edicto.* Castrac. *de Societ. c. 18. n. 9.* Mant. *de Conject. L. 11. tit. 19.* Et hinc lau-

laudandum esse sexum Mulierem vult Cassianus, quod conseruet humanum genus in *Gloss. Mund. part. 2. conf. 21.* Quidni jam magis laudandæ illæ fœminæ, quæ neglecta *sui salute conseruationi totius generis humani student*, merito dicendæ Martyres, quæ tam varios honestos fines vitæ suæ periculo obtinent. Qualem in Maria Mompenseria Gastonis uxore laudat constantiam Gramondus *Lib. 16. Histor. p. 698.* verbis: *Non multo post mortalia explet Maria Mompenseria D. Gastonis uxor, cui in excidium venit fœcunditas --- --- Moritura compellasse fertur Maritum in hæc verba, Dei beneficium esse quod prima iuuenta solvit natura debitum, innocentius morituram quo citius neque sibi feralem esse aspectum mortis.*

§. 8. Hanc pariendi necessitatem excipere educandi alendique liberos sequela Matri per triennium necessaria *l. 9. C. de Patria Potestate coll. cum gloss. ult. L. 3. Land-Recht art. 74.* ex ratione, quod eo tempore liberi materno auxilio præcipue indigeant. *Corraf. in Repet. L. Frater proxm. n. 24. ff. de condict. indebili.* Qua occasione problema ortum inter Eruditos Viros: *An Matres teneantur proprio lacte nutrice fœtus suos?* Jcti plerique id affirmant textumque allegatum *l. 9. de lactando vel*

de alimentis lactis materni interpretantur. Angel. in l. Nesennius 34. n. 6. ff. Negot. Gest. & l. alimenta 11. n. 2. C. eod. Roland. à Valle Vol. 2. Cons. 54. n. 80. Panormit. in c. ex literis 2. n. 4. X. de Convers. Infidel. Surdus Tract. de Aliment. Tit. 1. qu. 14. n. 1. & sequ. Ejus vero necessitatem ex naturalibus causis depromunt. Arist. L. 4. de Gener. Animal. c. 8. pr. Plin. L. 28. Natur. Histor. c. 9. Becmann. Medit. Polit. c. 8. th. 4. A Negativæ parte stant haud infimis rationibus Physico-moralibus Bartolinus Exercit. 2. Qu. 1. juridicis vero municii Azo in summa C. de Patria Potest. in fin. Bartol. in Tr. de aliment. n. 13. Pontanus de Aliment. c. 8. num. 2. in casu nempe nobilitatis generis, dedecus esse foeminae lactare. Sed facile posterior ratio refutari potest, eo quod si lactare sit nobilitati contrarium, & parere eidem contrarium esse debeat. Pruckmann. in repet. l. in multis P. 2. art. 29. num. 4. ff. de Statu Hominum, & hinc Reginas quoque uberius suis liberos à se genitos lactasse, testatur Tiraquelus in Tract. de Nobilit. c. 20. n. 93. Mediam elegit sententiam Colerus, nempe Matres Naturæ ductu ad lactandum invitari nisi vel lacte destituantur vel alio modo inpediantur de Aliment. L. 1. c. 6. n. 7. & 8. His præmissis ponamus Matrem nutrire quidem

dem posse sed non sine levi virium, ac venustatis periculo, sæpe etiam summo cum doloris sensu, *annon certo respectu hinc Martyrii encomium mereatur?* Resp. affirm. si id fiat (1) ex causa impellentis amoris. *Matrum quippe amor naturalis est, nutricum mercenarius.* Plutarch. *de Liberor. Educat.* Et (2) ob finem procurandi majoris boni, forte melioris curæ & educationis, quæ à nutricibus rarius expectatur. *In Moribus inolescendis magnam fere partem nutricis ingenia & natura lactis tenent.* Macrob. *5. Satur. 11.* Semperque & lac & spiritus maternus longe magis ingenii & incrementa corporis auget juxta *Columelle* judicium *L. 7. cap. 12.* Conf. *Gvevarræ Horolog. Princip. L. 2. c. 23. n. 318.* id quod ulteriore deductione vix eget, cum rationibus præced. capitis subsistat.

§. 9. Plures Casus hic colligi possint, sed eorundem decisio ex eadem dependere videtur causa, nempe prævalentem esse Parentum in liberos affectum, adeo ut magis in liberis sapius terrentur quam in seipsis *l. 8. ff. Quod metus causa.* ex qua Lege *Acursius* notat *Patrem plus diligere filium quam seipsum.* Receptumque ideo est in praxi, si pater & filius homicidii accusati, torturæ subjiciendi sint, ut Pater prius in persona filii quasi torqueatur

tur & ad veritatis confessionem, antequam sibi instrumenta applicentur, adigi possit: Manzius *de Restitut. tit. 4. n. 24.* Zanger. *de Qu. c. 4. num. 28.* Carpzov. *Crimin. Qu. 124. n. 18.* Brunnem. *d. l. Eodem nititur fundamento Caroli II. Imperatoris decretum, quo iussit filium prius suspendi: quod videns Pater, ut filium à morte vindicaret, ac in se pœnam converteret, sponte crimen confessus, ideoque suspensus est liberato filio. Tiraquellus ad d. l. si unquam. n. 8.* An vero *is amor etiam ad pœnam veri criminis peracti à Patre vel filio* pro reo alterutro sustinendam extendi possit, merito dubitamus ex iustitiæ natura, cum Laymanno Theolog. *Moral. L. 2. Tr. 3. c. 3.* & Dn. Stryck. *dict. diff. 15. c. 3. n. 25. in fin.* facitque huc Balduini interpretatio ad *dict. 1. Job. III. v. 16.* nempe dictum textum intelligi de promptitudine serviendi etiam cum periculo, cum proximus patitur necessitatem moralem, non cum miseriam voluntariam *Cas. Consc. 4. c. 17. c. 8.* Nullo itaque jure subsistunt tales casus, nisi quod humanitatis ratio illos *colore exstasis amoris* excuset: quo termino votum Moyſis, quo se optabat erasum ex libro vitæ quam ut Fratres sui salute excluderentur *Exod. XXXII. 32.* ob intentissimum boni communis desiderium, expressit Verulamius.

§. 10. In

§. 10. Instat *Societas Conjugalis*, in qua Amor mutuus conjuges in consortium malorum trahere solet: *Nihilque tam humanum esse, quam fortuitis Casibus mulieris maritum, vel uxorem Viri participem esse*, dicitur in l. 22. §. 7. ff. Solut. Matrimon. rationemque ejus ex unitate carnis deducit Megalander P. 2. libr. von Ehe-Sachen. verbis: Eheleute solten solchen Unfall mit einander tragen, und nicht darumb sich von einander scheiden. Denn gleichwie sie ein Leib sind geworden, so müssen sie auch gleich ein Leib bleiben, es komme Ehe oder Schande, Guth oder Armuth. Martyrium itaque subit conjux pro conjuge (1) in casibus fortuitis sequendo conditionem alterius aetereorem, cujus decisionis ratio ex antecedentibus patet, dignumque, quod posteritati tradatur, exemplum de Momorantia Principis Condæi conjuge refert Gramondus L. 2. Histor. Gall.: *Prævaluit libertati amor in virum, dat se sociam carceri qua consors erat vita; aulam abdicat, subitque in carcere arctæ custodiæ pœnam amoris rea conjugalis; quo facto supra sexus fragilitatem posito, dici haud injuria possit inventam ea atate fortem mulierem, quam negat Sapientia in sacris paginis; Et ipsa atri carceris horrorem patitur, rata solitudinem quascunque viro procul*

procul urbes. Nova hic Sacramento inter conjuges sancitur fides; reviviscit ex novo consortio, malo utriusque astro sopitus ignis. Rebus latis saepe dissolvuntur vincula charitatis, adverse arctius ligant; adeo felicitate corrumpimur! Post casum commiseratione invicem fortius amant se; sequuntur amplexus & liberi, progenies regia; felix sane Gallis custodia, per quam propagatur Borbonium semen, solitudinis tristitiam compensante natura:

(2) Et in pœnis eadem decisio locum obtinet. Nam licet merita non egrediantur personam, & hinc nec pœna delinquentis mariti uxorem afficere debeat, arg. l. 22. C. de Pœn. l. 33. C. de inoff. Testam. l. fin. ff. ad SCtum Syllan. cum nec in Civilibus pro Marito Uxor teneatur t. t. C. Ne Uxor pro Marito: quia tamen nimis durum est in sensu doloris constitutum Amicum deserere, conjugumque Amor filialem erga Parentes superare dicatur, Gen. II. 24. verbis: *Et deseret Patrem & Matrem & adhaerebit Uxori suae*, cum quo illud Propertianum convenit:

*Omnis amor Magnus, sed aperto in conjuge
major*

decidendum, Conjugem talem, qui se alterius doloris participem reddit, non juste tantum sed & laudabiliter agere, eoque ipso titulum martyris mereri,

mereri. Ita Sulpitia Lentuli Crustellionis Uxor etiam prohibita maritum in Siciliam secuta fuit, nec reculavit se ipsam proscribere ut ei fides tua in conjugē proscripto constaret, *teste Valerio Maxim. L. 6. c. 7.* Nec infrequens esse solet Praxis, quā conjux innocens pro conjugē adultero intercedens mitigationem pœnæ pro nocente obtinere solet, ita tamen, ut ipsa maritum in exilium sequi teneatur. Berlich. *P. 4. Concl. 27. n. 104.* Covarruv. *de Matrimon. P. 2. c. 7. §. 7. n. 11.* Lud. Gilhaus. *in Arbor. jud. crimin. c. 2. tit. 18. n. 7.*

§. II. Stat itaque firma sententia, Conjugem pro Conjugē martyrium subire posse: interim addenda hic quædam temperamenta, ne quævis passio titulo tam insigni superbiat, & spuria martyria cum veris confundantur. Requiritur itaque (1) materiale iustum, ut *actus passionis sit in potestate nostra positus.* Et hinc Conjux pro Conjugē obrato vel condemnato recte solvet. Carpzovius *Parte 2. Questione 55.* ex eo enim caritatis argumentum depromit Augustinus *Sermone 49.* verbis: *Quæ vere maritum amat, etiam pauperem, plus amat, quia cum misericordia amat. Si enim amet uxor maritum quia dives est, non est casta, non enim maritum amat sed aurum: ad carcerem*

F

cerem

cerem se obligare potest, cum obligatio talis nulla obstante naturali ratione impugnari possit. Dn. Stryck. *d. diff. c. 4. th. ult.* sociam exilii se offerre, uti constat ex superioribus, cum eodem tempore pestis, contagiosi morbi, furoris commorari, docente in Iulius Becmann. *diff. de Exsuper. Obs. c. 2. th. 5. & 6.* imo seipsam periculo (incerto tamen) mortis exponere, non obstante *l. 13. ff. ad L. Aquil.* qua quis negatur esse Dominus Membrorum suorum. *Resp.* Dominium quidem nobis negari, sed non facultatem disponendi, ad modum boni Patrisfamilias, de partibus in commodum totius, cum partes naturaliter sint propter totum, & bonum hujus preferendum sit bono partis. Lessius *de Just. & Jur. L. 2. c. 9. dub. 14. n. 100.* Actus vero extra potestatem nostram positus passionem ipso jure illicitam reddit. Et hinc ad liberandum Maritum Uxor pudica, cui violatio pudoris morte major habetur *l. 8. ff. quod metus causa.* etiam remittente jus laum marito in adulterium consentire nequit; quamquam contrarium accidisse exemplum referat Augustin. *de Sermon. Domin. in Mont. L. 1.* nec se ipsas occidere, cujus ratio *c. 1. §. 8.* reperitur utut contrariam praxin vivicomburia Mulierum Indicarum indigent, testibus Mandelslo *L. 1. c. 20. n. 2. & dela Mothe*

the le Vajer *Tom. 3. p. 6.* nec pœnam corporis afflictivam imprimis capitalem, liberato plane marito pati. vid. tamen *quæ dicta sunt ib. 9. in fin.* (2) *Causam* superius *efficientem* requisivimus, *Magnanimitatem.* Excluditur itaque *coactio*, quam *vicomburii* dictarum *Indicarum* mulierum pro *ratione* allegat *Mandelslo all. loc.* nempe *Indas Mulieres ob insatiabilem libidinem & mutuam in Polygamia amulationem Maritis necem passim struxisse: unde rarioribus redditis viris intemperiem istam Sexus hujus non aliter coercere potuisse, quam ut vivicomburium uxori mortuo marito decerneretur.* Nec in numerum venit *temerarius* *vita sue neglectus* *Jure Naturali & Divino improbatus.* *Stolidus enim consumit carnem suam. Eccles. IV. 5.* Multo minus *desperatio* excusanda. *Brunnem. ad l. 13. ff. ad L. Aquil.* Vanitatem vero sapit *Mors Philosophica Stoico sensu intellecta. ibidem.* (3) *Quæ de Finis honesti ratione dicta sunt c. 1. & ad hanc materiam applicari possunt, sc. ut majus bonum conjugis unius procuratur cum passione minoris mali ab altero conjugate suscepta.* Hinc earundem mulierum *Indicarum* *Vivicomburia* etiam ex hoc fundamento improbantur, quod *sine omni* careant. *Actio* enim per se *frustranea* est, & si *stultum* est nul-



lo sui bono ac nisi causæ utilitas svadeat, alteri nocere, argumento Grotii *L. 3. c. 27. n. 2.* certe stultius erit nullo vel sui vel alterius bono in proprium corpus sævire. Finem moraliter turpem hic plane rejici extra controversiam est, nec apparenter talem admitti conscientix ratio permittit, peccantque mariti, qui prætextu patientiæ indigna quævis ab uxoribus patienter ferunt, *arg. l. 29. ff. ad L. 7. de Adulteriis.* Est enim imperium maritale juris præceptivi cui renunciari nequit. Nec unquam è re esse mulierum imperia sexus imbecillitas dicitur. *In quella casa è poco pace, oue Gallina canta, & Gallo tace.* Gvevarra *d. Lib. 2. c. 7.* Conf. D. Joh. Bened. Carpzov. *in Tr. Muserlesene Trost- und Leichen-Sprüche p. 101.* Tandem & (4) *modus Martyrii Vivicomburis adversus est, utpote quæ per voluntariam sui injectionem fiebant.*

§. 12. Restat, ut paucis Societatis Herilis ac Servilis casus scopo nostro convenientes exponamus. Formamus itaque Thesin: *Servum recte Martyrem dici, qui neglecta corporis sui Salute Dominum casu mortis periculo illapsum eripere conatur.* Stricto jure servum ad id non teneri evincit Sola Conservationis sui ratio ex jure naturali dependens, quæ ideo à Jure Civili (cujus effectibus

bus alias servilis status privatur) tolli plane, nequit
l. 8. ff. de R. J. Ex æquitate tamen, & ob majoris
 boni rationem, non jus quidem naturæ mutatur,
 sed res ex applicatione ad idem jus, *arg. l. 6. ff. de J.*
et J. Servusque hoc in casu non minus laudabi-
 liter quam recte agit (1) ex ratione donatæ illi à Do-
 mino Vitæ, unde ejus à servando appellatio tracta,
§. 3. Inst. de J. Pers. (2) Ex præstatione alimen-
 torum perpetua. *Grot. L. 2. c. 5. th. 26. et L. 3. c. 14.*
th. 2. Quibus rationibus motus Imperator pro-
 cul dubio constituit, *ut servi ubicunque senserint*
Dominum periclitantem ad prohibendas insidias con-
currant, sub pœna supplicii, S. C. Syllan. ubi injun-
ctum hoc sibi officium neglexerint. l. 12. C. de bis, qui-
bus ut indign. hered. aufert. quæ verba ut indistincte
 concepta salutem Domini maxime commenda-
 tam volunt, ita concurrens servi periculum ad eam
 obtinendam non excludunt. Interim cum stricto
 jure servum ad expositionem vitæ suæ non teneri &
 ex æquitate tantum laudabiliter eum agere deduxe-
 rimus, Martyris titulum ipsi haud denegandum
 esse interprete Seneca judicamus *Lib. 3. de Beneficiis*
c. 19. et sequ. verbis: Etiam sub ista lege vincam,
et eo perducam servum, ut in multa liber sit. Inter-
rim dic mihi, si tibi ostendero aliquem servum pro

salute domini sui, sine respectu sua dimicantem & confossum vulneribus, reliquias tamen sanguinis ab ipsis vitalibus fundentem, & ut ille effugiendi tempus habeat, moram sua morte quarentem: hunc tu negabis beneficium dedisse, quia servus est? Si tibi ostendero aliquem, ut secreta domini prodat, nulla tyranni pollicitatione corruptum, nullis territurum minis, nullis cruciatibus victum, avertisse quantum potuerit, suspiciones quarentis, & impendisse spiritum fidei: hunc tu negabis beneficium domino dedisse, quia servus est? Errat, si quis existimat, servitutem in totum hominem descendere: pars melior ejus excepta est. Corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis: mens quidem sui juris, quae adeo libera & vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur, & in infinitum comes caelestibus exeat. Quaedam sunt, quae leges nec jubent, nec vetant facere: in his servus materiam beneficii habet. Quamdiu praestatur, quod à servis exigere solet, ministerium est: ubi plus quam quod servo necesse est, beneficium. Ubi in affectum amici transit, desinit vocari ministerium. Eodem vero jam monente Seneca illam Martyrii subeundi promptitudinem paucis examinemus, & quidem (1) *Materiale requisitum*, quod in eo posuimus,

fuius, ut actus sit in nostra potestate, & à servo observandum, vult dictus Autor, verbis: *Non enim aut nos omnia jubere possumus, aut in omnia servi parere coguntur; contra rempublicam imperata non facient, nulli sceleri manus commodabunt. c. 20.* Cum quo conveniunt jura *l. generaliter 26. ff. de V. Obl. l. 6. §. 3. ff. Mandati.* ipseque servus membrum sibi ipsi amputans vel mortem sibi inferens ad imperium Domini ab homicidii lege non est exemptus. *arg. can. 4. Dist. 55. & l. 1. C. de Eunuch. l. 4. ad L. Cornel. de Sicar.* propter rationem conservationis, ad quam quilibet sibi obstrictus est, Pufendorf. *de J. N. & G. L. 6. c. 3. §. 6.* Osiandr. *ad Grot. L. 3. c. 7. §. 1.* non obstante (1) Jure Vitæ & necis Dominorum in servos, quod etiam mutatum, ut non liceat sine causa in servum sævire *§. ult. Inst. de His qui sui vel al. l. 96. ff. de V. Obl.* adeo ut antiqui juris permissionem contra Jus naturæ esse statuamus cum Diana *Tract. 8. Ref. 4.* Alber. Gentili *L. 2. de J. Bell. c. 16.* nec obst. (2) *l. 9. §. 7. ff. de Peculio,* quæ vult servo licere naturaliter in sua membra sævire. Respondet Brunnemannus hic *ad b. l.* illam intelligi de licentia facti non juris ob evidentiorum textum *l. 23. §. 3. ff. de Edilit. Edict. & l. 13. ff. ad L. Aquil.* Tandem nec (3) *§. 3. Inst. de Injur.*
 ali-

12

aliquid momenti in se habet. Servo enim injuriam non fieri dum dicitur, id eum sensum habet, ut non tam servo quam Domino ejus illata injuria videatur. Zœl. *ad tit. ff. de Injur. n. 29.* quod si tamen servo non intuitu Domini gravior injuria fuerit illata, eam Prætori inultam non sinit *l. 15. §. 34. ff. eod. dem.* Dn. Stryck. *in not. ad d. §. 5. Inst.* Ex dictis jam (II) *formale* observandum facile colligitur, nimirum negata Domino & servo etiam in corpus suum potestate, negari quoque & id, ut servus sit instrumentum activum passionis seu martyrii pro domino, & hinc illud ab externo agente inferendum; quo ipso concluditur iniquam esse Chinesium consuetudinem, qua si quis Procerum è vita discedit, servorum copia se magno numero in rogamum Domini præcipitem dat. Linschot. *Histor. c. 23.* Non minor quoque (III) *finis hic* habenda ratio est, *ut sit honestus*, scilicet ad liberandum Dominum, *excluso apparenter honesto, & ne nullus sit:* quæ luce ex antecedentibus communicata radiant. Specialiorem vero meretur discussionem nobilis quæstio: *an servus recte agat, qui ne Dominus criminis alicujus reus ad supplicium trahatur, torturam potius ipsamque mortem generoso animo fert, quam ut confessione Dominum periculo supplicii exponat.*
Ratio.

Rariora quidem virtutis in servis esse exempla agnoscit Seneca *d. l.* ob invisā illis imperia dominorum & gravis necessitatis rationem, interim vicisse tamen aliquando caritatem Dominorum, ut servorum insignis se prodiderit fides. Ita M. Antonii ob incestum accusati, servus tanta patientia tulit, verbera, cruciatus, equuleum, ipsasque ardetes laminas, ut omnem vim accusationis custodita rei salute subverterit: teste Valer. Maxim. *L. 6. c. 8.* Nec minor emicuit fides in servo quodam Polono, qui cum Dominus ejus alias Magni Nominis Heros C. à K. in Anglia ante aliquot annos homicidii accusaretur, tanta fide negavit patratum ab ipso facinus, ut nec suspendii supplicio inde avelli potuerit. Sed hi casus jam ad juris normam examinandi sunt. Approbare videntur hanc fidem servilem jura Reverentiæ argumento innixa, dum accusari non posse à servo dominum dicitur. *l. 1. §. 8. ff. de Officio Praef. Urbi* (exceptis tamen quibusdam casibus, ut in crimine læsæ Majestatis *l. 7. ff. ad L. Jul. Maj. & c.*) Cum vero, qui non potest accusare, nec ad testificandum contra eam personam admittatur, ex recepta practica *arg. c. 1. Caus. 14. qu. 2. c. 38. & 39. C. 2. qu. 7.* Mascard. *de Probat. Vol. 2. Conclus. 857.* eo ipso tortura servi ad eliciendam confessionem

G

nem

12

ñem criminis à Domino peracti improbari videntur. Accedit argumentum à Liberto ad servum, qui contra Patronum vocatus in testimonium, si illud præstiterit, punitur, & tanquam ingratus, in servitute detruditur *l. 12. C. de Testibus arg. l. 2. C. de Libert. & eor. liberis. Hillig. in Donell. L. 25. c. 13. lit. C. Masc. de Probat. Vol. 3. Concl. 1358. n. 43. Ungep. in Decret. L. 2. tit. 30. n. 9.* Contrarium tamen hic magis arridet, servum sc. teneri ad confessionem criminis, ob interesse publicum, ne probatio pereat & veritas occultetur atque sic delicta maneant impunita *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 14. C. de Poenis.* Rationes vero priores *Legum allegatarum* intelligendas esse, quando veritas per alios sciri possit, ut tunc non rapiantur ad testimonium personæ servorum, fuse deduxit Dn. Struyck. *Diss. de Jure Rever. Part. 2. Membr. 5.* & in defectum demum testium aliorum illos ad recurrendum, quamquam hoc in casu Principem prius consulendum esse velit. *Tuschus Tom. 8. Concl. 225. n. 191.* Quæ utut verissima sint, mitius tamen judicium in foro externo expetunt. (4) *Causa impulsiva & efficiens. Illam amoris teneritudinem posuimus, quæ servos mori suis Dominis aliquando facere dicitur in l. 22. C. de Administr. Tut. Hanc Magnanimi-*
tatis

tatis speciem esse quandam agnoscimus, quam Valerius ex Gentili Hypothesi tanquam veram æstimat & admiratur, *dum argui fortunam merito posse dicit, quod tam pios & tam fortes spiritus servili nomine incluserit, d. l.*

CAPVT III.

DE

MARTYRIO POLITICO
IN STATV PVBLICO.

Superatis ita privatæ Conditionis rivulis, vasto jam excipimur Publici Status Oceano, majori periculo minori forte successu illum emensuri; Contrahimus ergo vela, ne tam svavis materiæ Zephyris abrepti abyfso ipsi immergamur, non vano difficilius regressus metu. Ipsa dissertationis nostræ navicula, quam brevitatis temporis exiguam imperavit, fragilitatis suæ memor tenuit committi immenso huic æquori, ne mole mercium pressa jacturam sui implorato Legis Rhodiæ de jactu auxilio evitet. Alia itaque in levamen oneris instruenda erit brevi, etiam hunc in portum deducenda. Et ut more Nautarum nomen illi demus, prodibit illa titulo *de Sacrificiis Status* ornata. Hanc abrupti

G 2

pti

12

pti operis causam pro Exculatione admittes L.B. facile illi patrociniū additurus, ubi tribus (quod ajunt) verbis materiæ tractandæ pondus Tibi ostenderimus. Principum & subditorum causa hic versatur, quæ amplitudine sua terminos juris privati excedit. Publicum ergo jus in subsidium vocandum est, & ad ejus normam Martyria Principum pro subditis, subditorum pro Principibus examinanda. Difficilis quidem hic decidendi ratio. Nam si naturam, (seu potius primam naturam) spectes, major est apud eam sui quam societatis respectus, si societatem, hujus Custodia neglectum propriæ salutis sapius imperat. Nec ab omni dubio immunis est imperii istius justitia, ut culpa Principum populi damno expietur, populi que peccata Principum calamitate compensentur. Suo quemque fato trahi, suo pro meritis premi malo æquum videtur: Qua motus ratione David, cum pro delictis suis populum affligi vidisset: *Ego sum, inquit, qui peccavi, inique egi, isti qui oves sunt, quid fecerunt?* Simileque est illud apud Virgilium:

*Me, me adsum, qui feci: in me convertite
ferrum,*

*O Rutili, mea fraus omnis, nil iste nec ausus,
Nec potuit.*

Interim

Interim saepe ex occultis causis etiam DEI talis in Reges populosque ultio est: Saepe pro populo Reges, pro Regibus saepe plectuntur populi, ut visum divinae providentiae, quamque hominum securitas & ultio aequemorent, pie ita differente Gramondo L. 4. Hist. pag. 258. Imo sponte tantus saepe in Principibus amor, tanta in subditis fides emicuit, ut vicaria morte, vicario periculo alter alterius saluti consuleret neglecta propriorum commodorum ratione. Digna hinc Principe vox est Adriani se ita imperaturum, dicentis, ut sciret rem populi esse, non suam. Aelian. Spart. in Adrian. Digna subditis exclamatio populi Israeliici ad Davidem 2. Sam. XVI. v. 3. Non exibis: si ve enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit, si ve media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: qui tu cuius pro decem millibus computaris; melius est igitur ut sis nobis in Urbe praesidio. Quae omnia quem sensum habeant, speciali exponetur dissertatione.

SOLI DEO GLORIA.



G 3

Man

12

*Man hat, zu Erfüllung des Platzes, so viel derselbe
vergönnen will, (Tit.) denen Herren Liebhabern mehrere
Dispp. angeben, und darbey dienstlich melden wollen: Daß
solche, wie gegenwärtige, ebenmäßig zu Jena in der Hellerischen
Buchdruckerey, (mit einem gedruckten Catalogo, der be-
reits biß in das 7te Alphabet angewachsen ist, und noch
viel 1000. Stücke, von allerhand in alle Facultäten einschlagende
Dispp. in sich fasset,) um billigen Preiß zu haben sind, als:*

Mülleri de fide vicaria.

Ejusdem de morte vicaria.

Ejusdem de Calore Juvenili.

Lynckeri de Mandato rei turpis.

Ejusdem de commendatione speciali.

Becmanni de obligatione mandantis erga man-
datarium fines mandati excedentem.

Böhmeri de imputatione culpæ propriæ.

Ejusdem de excessuum pœnis.

Ejusdem de pœna jus sibi dicentis sine judice.

Ejusd. de obligatione ad revelandum occulta.

Ejusd. de efficaci mulierum intercessione.

Bodini de jure circa violentiam corpori alterius
inferendam.

Ejusdem de jure & pœna ebriorum.

Buderi de violenta defensione privata in statu
civili.

Carp

- Carpzovii de murcis.
 Christii de cura famæ viro bono digna.
 Crellii observationes de pœna silentii & consci-
 entia delicti alieni.
 Dilthey de persona mandantis mandatario im-
 posita.
 Struvii origines & elogia Hohenloica.
 Slevogtii de actione funeraria.
 Meieri de iudice spoliatore.
 Slevogtii de alienatione fisci vel imperatoris pri-
 vilegiata.
 Schacheri de restricta testatoris potestate.
 Manzelii de decisionibus quae fiunt pro autori-
 tate.
 Lynckeri de compromisso.
 Rothii de cautione de non-offendendo.
 Conradi de Provasallis.
 Gûrtleri de appanagiatis, in primis Imp. Princip.
 Kayseri de æquali Statuum Imperii origine &
 progressu.
 Struvii de Jure Sigillorum.
 Zollii de feudi per vasallum alienati præscripti-
 one contra dominum directum.
 Ejusdem de pactis successoriis.
 Zaupschlifferei de Jure graviditatis & gravidar.
 Cocceji

Cocceji de electione rei conventi ex enormi la-
sione.

Wildvogelii de parasynaxibus seu conventicu-
lis extra ecclesiam illicitis.

Bechmanni de imperitia & infirmitate.

Streitii de licito iudicis favore.

Schroeteri de nominis proprii expressione.

Mantzelii de eo quod refert feudum esse vere
antiquum vel novum jure antiqui concessum.

Wernheri de jure affigendi publice mandata
Vogtheiæ immediatæ contra centenam asserto.

Weberi de canonico prælatorum ecclesiæ elect.

Kressii disquis. paroem.: Unter dem krummen
Stabe ist gut wohnen.

Mollenbecii de abusu cessionis bonorum.

Bergeri de donatione Principis.

Lynckeri de bonorum allodialium in feudalibus
incorporatione.

Ejusdem de jure repressaliarum jurisque genti-
um & civilis qua illud convenientia ac disconve-
nientia.

Hackii de tortura ex foris Christianorum non
proscribenda.

Linckenii de jure ædificandi in suo.

F I N I S.



ULB Halle
002 373 289

3




s. 6.

V017







DISPUTATIO HISTORICO-IVRIDICA,
DE

MARTYRIO IVRIDICO ET POLITICO,



GERMANIS:

Rechtliche und historische Abhandlung:

In wie weit man für den andern, oder auch für das Vaterland, Leib, Leben, Gut und Blut aufzuopfern, oder dessen Beschwerden zu tragen schuldig sey.



QVAM

PRAESIDE

IOHANNESCHVLTZIO, D.

IVRIVM ET HISTORIARVM PROF. PVBLICO,
ET ATHEN. GEDAN. INSPECTORE,

ANNO CIO IO C XCI. D. X. MAII,

PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIECIT

CONSTANTINVS GABRIEL HECKER,

DANTISCANVS.



NVNC VERO, VT DESIDERIIS MVLTORVM SATISFIERET,



I E N A E,

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1749.